



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 56. Commendoni literæ ad Cardinalem Mantuanum de hisce Doctoribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

Sæcul. XVI.
A. C. 1561.

„ipsuin rogabam, ut sub obtentu suam
 „vindicandi innocentiam suas doctrinas
 „in examen adduci, ac de ipsis disputa-
 „tionem fieri permitteret: cum nol-
 „lem hunc Theologum seu refellen-
 „do exacerbare, seu laudando in sen-
 „tentia obfirmare, seu silendo penitus
 „a me alienum reddere quasi despectum, *Pallav. c. 7.*
 „Raynald. ad hunc ann. n. 4
 „attamen ipse excusaverat se apud eum, *n. 9.*
 „qui epistolam ei detulerat caussatus,
 „quod, cum extemplo inde discessurus
 „esset, responsum scripto remittere non
 „liceret, amicas tamen salutationes
 „suas ore tenus reddere vellet. ,,

§. LVI.

Commendoni literæ ad Cardinalem Mantuanum de hisce Doctoribus.

Insuper Sedis Apostolicæ Nuntius ad Mantuanum Cardinalem perscripserat, quod tunc temporis colloquio fuerit usus cum Hesselio, opera Everardi Mercurini, qui tum Jesuitarum Provincialis erat, & postmodum S. Francisco Borgia circa annum millesimum quingentesimum septuagesimum tertium fatis functo supremus ejusdem Societatis Moderator evasit. „ In hoc colloquio inquebat Commendonus, de Hesselii probitate, ac eruditione haud mediocrem concepi existimationem: cum autem eidem grave detrimentum, quod

G 2 „ propter

Sæcul. XVI
A.C. 1561. „propter illum passura esset Ecclesia, ob-
„jicerem, illumque hortarer, ut cuncta
„;hæc dissidia fedare vellet, hic Theolo-
„gus ad revocandam pacem totum stu-
„dium impendere, paratus videbatur:
„Verum in hac occasione non minus
„æmulorum vehementiam, quam illo-
„rum pertinaciam reformido: etenim
„hi, cum hujus Doctoris dogmata in Hi-
„spania a Complutensi, & Salmanticensi
„Universitatibus proscripta cernerent,
„crescente eorum audacia, atque æqui-
„tatis fiducia minabantur, se Romam
„scripturos, curaturosque, ut hæ pro-
„positiones ibidem tanquam hæreticæ
„damnarentur: idcirco hac in re meum
„est consilium, ut summus Pontifex,
„caussa ad tribunal suum evocata, omni-
„bus silentium imponat, interim vero
„operam det, ut ambo hi Doctores Tri-
„dentum pergent, ubi Legatorum soler-
„tia facile illi cum suis hostibus recon-
„ciliari possent. „

Interim Mantuanus, & Seripandus
Cardinales, qui jamjam ante Synodi i-
nitium Tridentum pervenerant, varia
excogitabant consilia, quibus Commen-
dono communicatis ab eo sciscitaban-
tur, quid demum ille hac in re sentiret.
Is censebat, quod summus Pontifex, quin
Baji, & Hesselii nomina proderentur,
diploma ederet, vi cuius Patres Fran-
cisci

ciscani, aliquique circa hasce controver- **Sæcul. XVI.**
 sias disputare prohiberentur: interea **A.C. 1561.**
 vero ambo hi Theologi sub honoris spe-
 cie ad Synodum mitterentur, iisque
 quoque duo magni nominis Doctores
 Lindanus, & Titelmanus adjungeren-
 tur, maxima celeritate eo profecturi, ut
 Legati, priusquam Synodi negotiis gra-
 viter distenti essent, libere cum illis a-
 gere, eosque sibi devincire valeant. Pri-
 mum hujus consilii caput mox esse-
 tui datum, alterum vero, scilicet u-
 triusque Doctoris Baji, & Hesselii disces-
 fus, usque ad anni millesimi quingen-
 tesimi sexagesimi tertii initium differe-
 batur, eo autem tempore soli ab Hispa-
 niæ Rege Tridentum decernebantur.

§. LVII.

Erfordiensis Principum Protestantum Conventus.

Ferventibus hisce dissidiis Protestantes **Pall. l. 15.**
c. 8. n. 1.
 Principes suum Erfordiæ, prout jam
 antea decreverant, celebrabant conven-
 tum, cui intererant quidam horum
 Principum Consiliarii, nec tamen circa
 doctrinam inter eos concordia conci-
 liari poterat; nam seruebat præcipua,
 magisque pertinax discordia circa Chri-
 sti præsentiam in Eucharistia; quamvis
 enim Protestantes ad concordiam seu
 quærendam, seu potius simulandam,

G 3 novam